Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 443
Quelle:
Copyright:

ni. Transfixio. Tumulacio domini. Spoliacio inferni. Resurrectio domini. Visitacio sepulchri. Apparicio Marie Magd. Apparicio post resurrectionem. Ostensio vulnerum. Ascensio domini. Missio sancti spiritus. Mors B. V. Nemo typographicae antiquitatis paullo peritior non videt Iconismos hos nostros πρόδρομοι fuisse xylographici illius Tentaminis, quod vulgo *Biblia Pauperum* audit, cujusque Specimina quinque diversa in Bibliothecis adservari testatur Cl. *Heinecke Idée generale d'une Collection compl. d'Estampes. Lips.* 1771. p. 306. 8. Quin comparatis illis cum exemplari *Bibliorum Paup.* quod Caesarea condit Bibliotheca, patuit, Inscriptionum nullam esse differentiam, solumque Xylographum in efformandis figuris a Pictore nostro saepe saepius abire. Patuit praeterea, Iconismos e Codice nostro quosdam deperiisse. Censemus enim non nisi XXXIV. cum ad completum *Bibliorum Paup.* exemplar XXXX. requirat laudatus *Heineckius.* Itaque nobis desunt, ut ille gallice effert: *Le Christ va au jardin des olives. La prise de Jesus au jardin. Le dernier jugement. L'Enfer. La Beatitude. Les recompenses des élus.*

CLIX. VI B. r

54 Codex membraneus germ. Sec. XV. Folior. 370. f. charactere unciali, crasso, ad Psalterii Faustiani MCCCCLVII. formas accedente exaratus et rubricis probe distinctus continet *Postilla* sive *Expositiones Evangeliorum*, ita, ut positis latine primis sacri Textus verbis sequatur eorum interpretatio, tum in ea fusius disseratur, adductis etiam in confirmationem aliis Scripturae locis, et PP. effatis. Damus initium. *In principio erat uerbum. et uerbum erat apud deum. &c. daz spricbet also. In dem anegeng waz daz wart. vnd daz wort waz bey got* &c. Initium glossae: *Di andrn euangelisten schreibent. Daz vnser herre geporn sei in der Zeit diser welt. daz ist nach der menschcyt.* &c. Narrationes de Natali Servatoris, fuga in Aegyptum et vita in Nazareth multis piis fabellis scatent depromtis ex *Evangelio Infantiae Christi*, cujus specimen ex Graeco *J. B. Cotelerius*, ex Arabico *Henr. Sikius* dedit, et repraesentavit *J. Alb. Fabricius in Cod. Apocr.* N. T. p. 127. collato insuper ex *Lambec.* L. VII. p. 270. fragmento Bibl. Caes. Graeco, quod tamen nunc evanuisse legimus in *edit. Kollar. ejus Libri col.* 579. n. B. Specimen fit ex *fol.* 88. sequens narratiuncula: *Eins andern tags ging daz chint ihesus mit einen chrug nach wasser vnd wolt seiner mutter wasser pringen alz ander chint taten. do zeprach er den chrug. Do sprachen di andern chint. Jhesus wie wil du nu tun. do nam er dez wassers in seinen gern* (vestis anterior plicata, sinus) *vnd trueg es seiner mutter beym. das nie chain zaher* (gutta) *her auz cham. Nu wolten di andern*